



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 22. Pontifex circa Anglici Sceptri successorem Romæ sollicitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.
A. C. 1558. ex Anglia discedere coacto cuncta necessaria liberaliter suppeditabat, in eodem regno cum Amico suo vivere, ac mori decreverat; quod autem Polo nulatenus ex proprii quæstus studio adhæserit, sat elucet ex eo, quod generoso animo post Amici sui obitum, hæreditatem sibi delatam recusaverit, ejus tamen testamentum præcipua diligentia atque integritate executus est, solidosque viginti menses, quibus Polo superstes fuit, in colligendis ejus rebus huc illuc dispersis, & summa fide distribuendis consumpsit: insuper cuncta pia legata in Testamenti tabulis conscripta exacte persolvit, atque ex residuis bonis eleemosynas in pauperes erogavit, quin sibi quicquam præter defuncti Cardinalis Breviarium, atque ejusdem diurnale reservasset. Ceterum Polus haud adeo dives obierat; vixerat enim semper a temporalium bonorum cura, & humanarum dignitatum cupiditate admodum alienus.

§. XXII.

Pontifex circa Anglici Sceptri successorem Romæ sollicitus.

Pallav. hist.
Conc. Trid.
l. 14 c. 8.
n. 1. & 2. Interea nuntius de Regiæ Angliæ, ac Cardinalis Poli obitu die vigesima secunda Decembris Romam deferebatur, cum autem in Angliæ Regno Religio non

nondum tam altas egisset radices, ut ^{Sæc XVI.}
 longæva illius conservatio sperari posset, ^{A. C. 1558.}
 hinc summus Pontifex de hujus sceptri
 successore anxii omnino curis agitaba-
 tur: nam duæ fœminæ ad regni suc-
 cessionem adspirabant earumque prima
 erat Elisabetha, quæ nonnisi post Ma-
 riam ab Henrico VIII. & Anna Bo-
 lena, die octava Septembris Anno
 Christi millesimo quingentesimo tri-
 gesimo quinto primam lucem aspexe-
 rat. Porro Elisabetha in diuturno
 carcere prius detinebatur, & dece-
 dente Maria, in Harfordiæ Comi-
 tis arce duorum dierum itinere Londino
 dissita, quam ipsamet sibi tanquam asyli
 locum selegerat, veluti exilio multata
 morabatur, quantumvis vero sese Ca-
 tholicæ Religioni addictam nefarie si-
 mularet, haud tamen ignotum erat,
 quod Protestantium hæreses in animo
 suo foveret, quinimo erroneas suas opi-
 niones adeo dextere occultare haud
 poterat, quin non persæpe animum
 suum ad novam doctrinam sat propen-
 sum exterius proderet: eapropter Mi-
 nistrorum nonnulli Mariæ Reginae sæ-
 pius suggerebant, quod illam e medio
 tollere, consultum foret. Altera, quæ
 Anglicæ coronæ hæreditatem sibi polli-
 cebatur, erat Maria Scotiæ Regina,
 Margarithæ Filia, ac Henrici VIII. So-

Sæcul. XVI. A.C. 1558
1558
 ror natu major, quæ nuperrime Franciæ Delphino nupserat. His duabus forte etiam tertia accenferi posset Francisca Suffolciæ Ducissa, quæ, cum Mariæ filia, ac secundo genita Henrici VIII. Soror esset, regni diadema sibi deberi contendebat.

§. XXIII.

Anglorum rationes præferendi Elisabetham.

*Burnet hist.
 de la ref.
 t. 3. l. 3.*

Senatus adhucdum erat congregatus & comperto Mariæ obitu confestim illorum jura, qui defunctæ succedere possent, discutere aggrediebatur: cum autem Henricus VIII. crebris suis divortiis, necnon Regii Senatus decretis, quorum unum alteri adversabatur, hanc rem omnino intricatam reddidisset, hinc plurima emergebant obstacula: nihilominus Senatores soli illi insistebant decreto, vi cuius Henrico Successorum ordinem pro suo arbitrio decernendi facultas relinquebatur: cum ergo hic Elisabetham Mariæ ejus Sorori prætulisset, quamvis utraque ex adulterino complexu procreata declararetur, ea tamen Henrici dispositio jam sufficiens credebatur, ut Elisabethæ jus, quod ipsemet Senatus haud amplius revocare posset, attribueretur: aliunde vero Scotiæ Regina, quamvis ex Henrici VIII. testamento